

Prüfungsteilnehmer

Prüfungstermin

Einzelprüfungsnummer

Kennzahl: \_\_\_\_\_

**FRÜHJAHR**

**62410**

Kennwort: \_\_\_\_\_

**1993**

Arbeitsplatz-Nr.: \_\_\_\_\_

**Erste Staatsprüfung für ein Lehramt an öffentlichen Schulen**

**- Prüfungsaufgaben -**

- \* Fach: Latein (vertieft studiert)  
Einzelprüfung: Übersetzung Latein/Deutsch  
Anzahl der gestellten Themen (Aufgaben): 1  
Anzahl der Druckseiten dieser Vorlage: 2

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Beantwortung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

(3) Cum per aliquot dies quietae stationes utrimque fuissent, repente adventus Hippocratis et Himilconis ut ultro undique oppugnarentur Romani fecit. (4) Nam et Hippocrates castris ad magnum portum communis signoque iis dato, qui Achradinam tenebant, castra vetera Romanorum adortus est, quibus Crispinus praeerat, et Epicydes eruptionem in stationes Marcelli fecit et classis Punica littori quod inter urbem et castra Romana erat appulsa est, ne quid praesidii Crispino submitti a Marcello posset. (5) Tumultum tamen maiorem hostes praebuerunt quam certamen; nam et Crispinus Hippocraten non reppulit tantum munimentis sed

Fortsetzung nächste Seite!

insecutus etiam est trepide fugientem, et Epicyden Marcellus in urbem compulit; (6) satisque iam etiam in posterum videbatur provisum ne quid ab repentinis eorum excursionibus periculi foret. (7) Accessit et ad haec pestilentia, commune malum, quod facile utrorumque animos averteret a belli consiliis. Nam tempore autumni et locis natura gravibus, magis extra urbem quam in urbe, intoleranda vis aestus per utraque castra omnium ferme corpora movit. (8) Ac primo temporis ac loci vitio et aegri erant et moriebantur; postea curatio ipsa et contactus aegrorum volgabat morbos, ut aut neglecti desertique qui incidissent morerentur aut assidentes curantesque eadem vi morbi repletos secum traherent, (9) cotidianaque funera et mors ob oculos esset et undique dies noctesque ploratus audirentur. (10) Postremo ita assuetudine mali efferaverant animos, ut non modo non lacrimis iustoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem aut sepelirent, iacerentque strata exanima corpora in conspectu similem mortem expectantium, (11) mortuique aegros, aegri validos cum metu, tum tabe ac pestifero odore corporum conficerent; et ut ferro potius morerentur, quidam invadebant soli hostium stationes. (12) Multo tamen vis maior pestis Poenorum castra quam Romana affecerat; nam Romani diu circumsedendo Syracusas caelo aquisque assuerant magis.

### Erläuterungen

Achradina: Stadtteil von Syrakus

Epicydes: syrakusanischer Heerführer

## II. Sprachliche Erläuterung:

1. Welche Bedeutung hat der Konjunktiv "averteret" § 7?
2. Welche grammatische Regel liegt bei "non modo non ... sed ne .. quidem" § 10 vor?